

pulchra conditio facilitatis eam deficiat; tamen vel hic sisto gradum, & experientiam appello.

CAPUT IV.

D. Wolffii methodo tractandi Jus naturæ deest altera conditio bonæ methodi, nimirum **AMBAGIUM OMISSIO.**

PROBATIO.

Methodum Wolffianam ambagibus non carere; quia **LABORAT in probandis iis, de quibus NEMO DUBITAT,** aut quæ clariora sunt, quam ipsæ laboratæ demonstrationes.

1. **E**xemplum ejus rei jam attulimus supra Capitis III. Probatione II. Num. 6. ubi ostendimus, Domini Wolffii §. 15tum, in quo asseritur: *Appetitiones & Aversationes sensitivæ, in se spectatæ, non sunt actiones liberæ sed naturales.* Ibi, inquam, ostendimus, hanc propositionem aut non indigere demonstratione, cuius per se notam supposito paragrapho

præcedente, nempe non posse nos efficere, ne ex perceptione sensuum in se spectatorum percipiat sensus voluptatem aut tædium ex objecto causante talia: quod ipsum rursus est admodum notum facile cuiusvis. Aut ejus demonstrandæ media esse obscuriora probandis: Sunt enim media demonstrationis hæc duo: **PRIMUM: Appetitiones sensitivæ ex perceptione boni confusa, aversationes sensitivæ ex perceptione mali confusa nascuntur.** Et **ALTERUM** medium tale: *Quamdiu in notione boni confusa acquiescimus, id appetimus, ex quo voluptatem percipimus.* Hæc duo, nimirum *Perceptionem boni malique confusam: Et appetitum acquiescentem in notione boni malive confusa,* pauciores intelligent: cum nemini facile ignotum sit, *perceptionem voluptatis ut pure à sensu pendentem non esse liberam animæ.*

2. De actionibus liberis facultatum animæ facturis demonstrationes à priori, quas semper promittit, incipit à particularibus, & per paragraphos plures laborat in ostendendo, quænam particulares actiones sint liberæ. Quod si Propositionem generalem, (*omnia esse liberis accensenda, quæ ex decreto animæ volentis sunt*) recte demon-

demonstratam habuit, potuit abstinere à demonstratione particularium sub ea generali contentarum: hoc unum necesse erat paucis ostendere, hæc particularia esse sub generali contenta. Audiamus exemplum.

WOLFFIUS. (§. 32.) *Operationes intellectus in numero actionum liberarum sunt, quando ex decreto animæ seu ab anima eliciuntur.*

WOLFFII DEMONSTRATIO:

Etenim si ab anima volente eliciuntur, ideo v. g. judicare vel ratiocinari, quod judicare, vel ratiocinari vis. Quamobrem cum anima libera sit in volendo (§. 942. *Psychol. empir.*); libertas animæ rationem continet, cur jam judices, vel ratiocineris (§. 56. *Ontol.*), consequenter iudicii vel ratiocinii actus à libertate animæ pendet (§. 8., 1. *Ontol.*) Atque adeo liquet, operationes intellectus in numero actionum liberarum esse, quando ab anima volente eliciuntur.

Commentarius seu Scholion WOLFFII.

Ab sit tamen, ut hinc tibi persuadeas, intellectum esse liberum in judicando & ratiocinando, & ita judicare ac ratio-

cinari, prouti jufferat voluntas: neque enim in intellectu major libertas est, quam in manu, dum ad nutum animæ movetur, hoc est, nulla. Libertas non competit, nisi voluntati: actiones ceteræ animæ tales sunt, quales à facultatibus suis esse permittuntur, & motus organorum corporis ii sunt, qui per mechanismum eorundem perfici possunt. Sunt autem illæ actiones liberæ animæ, hi corporis quatenus non ponuntur, nisi posita animæ libera voluntate. Unde actiones liberæ definitivimus per eas, quæ à libertate animæ pendent, quatenus nempe absque libera voluntate non intelligitur, cur edantur, vel, si privativæ fuerint, omittantur, & sic libertas influit in earum actualitatem.

Sic autem porro multiplicat paragraphos circa particularia: ut (§. 33.) *Actiones ex dispositione libero exercitio acquisita fluentes liberæ sunt.* Quem sequitur demonstratio novies longior, & Scholion vigesies prolixius. Deinde §. 34. *Si actio aliqua omittitur ob defectum Dispositionis, quam acquirere potuisses, si voluisses; factum omissionis accensendum est actionibus liberis.* Rursus cum Demonstratione & Commentario, Item

§. 35. *Actiones ex habitu libero exercitio atq̄uſito fluentes liberae ſunt.* Inſarctus rurfus demonſtratione & commentario. Mox §. 36. *Si actio aliqua omittitur ob defectum habitus, quem acquirere potuiſſes, modo voluiſſes; factum omiſſionis accenſendum eſt actionibus liberis. &c. &c.*

3. In hac Wolffiana multiplicatione non jam examino doctrinam, non demonſtrationum vim; ſed methodum tractandi per ambages euntem, atque adeo methodi nomen haud recte merentem. Quilibet de Scholaſticis noſtris longe aliter hanc rem tractaſſet. Primo enim ſtatuiffet propoſitionem Generalem id eſt MAJOREM ſyllogiſmi doctrinalis. *Omnia ſunt voluntaria, hoc eſt libera, quae cur ponantur aut omittantur, voluntatis decretum liberum in cauſa eſt.*

Hanc MAJOREM demonſtraſſet metaphyſice à priori vel reducendo ad prima principia: vel contrariam adigens ad contradictionem: vel reducens ad impoſſibile: vel ad abſurdum, quae probatio eſt moralis, locum plane in moralibus habens, cum ea plerumque etiam in mathematicis utatur Euclides.

Tum oſtendiſſet Scholaſticus, ex hac ſola MAJORI ſecuturas innumeras demonſtrationes particularium, quae ſingulae per ſingulas MINORES propoſitiones deducuntur in hunc fere modum:

ATQUI operatio intellectus ideo elicitā, quia voluntas ita libere decrevit, cauſam, cur ponatur, habet liberum voluntatis decretum, ut patet in terminis. Ergo operatio intellectus ſic elicitā eſt libera ſeu voluntaria.

Rurfus ATQUI actio fluens ab habitu ideo acquiſito, quia voluntas eum habitum libere decrevit acquirere & acquiſivit, cauſam, cur ponatur, habet liberum voluntatis decretum: Ergo talis actio eſt libera. Et ſic porro feciſſet Scholaſticus de Sexcentis particularibus.

4. Iſtiusmodi, quam nunc dixi, methodus Scholaſtica mire facilis fuiſſet perceptu. Fuiſſet etiam clara, certa & copioſa, praecipue ſi hinc inde adderetur annotatio quaedam, ubi opus eſſe materia ſuaderet; & ſi, ubi dubitationibus quibusdam locus eſt, *Objectiones* quaedam formarentur, diſparitas enuclearetur, ceteraque fierent, quae fieri à Scholaſticis ſolent.

5. Per

5. Per easdem ambages devolvitur D. Wolffius fere paſſim. Cap. VI. agens de *Imputatione*, ordinem quidem paulo melius conſtituit, atque ex generali propoſitione ſtabilita, §. 528 *Quod nequeant imputari actiones niſi liberae*, innumeris deinde paragraphis enumerat particularia, quae imputari poſſint. Hoc equidem non male: illud autem verboſe & anfractuoso ductu, quod in ſingulis particularibus demonſtret id, quod demonſtratione nulla amplius egebat, cum fuerit in Generali propoſitione MAJORE probatum. Sed cum haec particulares propoſitiones ſint totidem MINORES, nihil aliud demonſtrandum erat, quam eas contineri in *Majore*, id, quod paucis verbis fieri potuiſſet, nec per omnia particularia, ſed per ea tantum, in quibus prudens dubium occurrere poterat, an ſub genere contineantur. Nunc autem ſit multis cumulatis argumentationibus, quibus adhuc accedunt aliquoties centena remiſſiones, quae ad novas iterum remiſſiones propellunt.

6. Libet hic pauca ex R. P. CONCINA Tomo VI. Theologiae Chriſtianae, Diſſertat. Prolegomena Cap. VI. §. II. admetiri.

Is ubi retuliſſet partem aliquam paragraphorum Wolffii de Veriloquio & falſiloquio per centum ſexaginta paragraphos latiffime diſputatorum, ſubdit: “ Recenſitas doctrinas ex centum & amplius idcirco excerpti, non ut earundem doctrinam expendere, aut reſellerem id, quod cum vero pugnat; ſed ut methodi Wolffianae vanitatem evincerem. Vidifti multiplicatas propoſitiones, proluxa commentaria, ut id probetur quod ſua natura cuique ratione praedito notum eſt. Quae pauciſſimis declarari verbis poſſunt, plures implent paginas. Conſule loca citata, quae intexit ſuis explanationibus, ut te in circuitu ſuorum librorum contineat; & vix ullum invenies, in quo id evincatur, quod promittitur. Quam implexa deinde ſit locutio, quam ſtrigofa, non eſt quod patefaciam. Res ipſa loquitur & Scholaſticorum cauſam orat. Provoco illos (*poſt pauca proſequitur R. Concina*) ut vel ex uno alicujus nominis Scholaſtico excerptant propoſitiones iis ſimiles, quas nunc ex Wolffio adduxi. Quin ſi omnia Scholaſticorum dumeta percurramus, tot ſpinas, tot anfractus,

"ctus, tot salebras non offende-
 "mus. Nullius mihi sane Scho-
 "lastici lectio tantum tædii fasti-
 "dique attulit unquam, quan-
 "tum unius Wolffii lectio. Ine-
 "ptas, vanissimasque quæstiones
 "versant illorum plures; non
 "repugno. Sed de his modo
 "Sermo non est. Temporis per-
 "sonarumque defectus isti sunt.
 "METHODUM, qua res etiam
 "nihili Scholastici versant, cum
 "methodo Wolffiana compara-
 "tam, optimam, perspicuam,
 "facilemque asserimus. Quid?
 "an non optima illa methodus,
 "qua homo suas nœnias, nugas,
 "cavillationes uno velut aspectu
 "exponit, ut extemplo earun-
 "dem, & insuper eorum omnium
 "quæ contra opponi possunt,
 "callentissimus efficiaris? E con-
 "trario Wolffiana methodus te
 "in propositionum labyrinthum
 "detrudit, ibique te in perpe-
 "tuum rotat circulum. Quid?
 "Scholastici quisquilias, vanas
 "subtilitates versant? Esto.
 "Sed, ut dixi, clara & obvia
 "methodo. Wolffius contro-
 "versias summi momenti dispi-
 "cit; sed methodo implexa, flu-
 "ctuosa, spinis, dumetis, am-
 "fractibus, mæandris, salebris
 "undique obseptis. At, quod
 "rem conficit, est, Scholastici,

" qui Jus naturæ illustrant, an
 " non omnes alicujus momenti
 " controversias, quas Wolffius
 " versat, tractarunt ipsi prius?
 " - - - Quidquod si propofi-
 " tiones Wolffianas ad severam
 " critice revocemus, plus stri-
 " bliginis, quisquiliarum, & fu-
 " tilitatum in eisdem reperiemus,
 " quam in puribus alicujus no-
 " minis Scholasticis.

Et hic tandem sit finis de ver-
 bositate agendi: ubi verbosum
 me esse & in anfractus discurre
 coëgit præcursor Wolffius, cujus
 cursum examinaturus, sequi ac
 persequi necesse habui.

CAPUT V.

Methodo Wolffianæ deest Tertia conditio

CERTITUDO.

Prima Probatio. Quia lector
 semper **SUSPENSUS**
 hæret.

1. **V**iam bene ordinatam esse
 tunc dico, quando in ipso
 ingressu, vel saltem ad bivia ex
 iudiciis dispositis cognosci potest,
 quo

quo tendat iter? ad quem termi-
 num? id quod tum Romani ve-
 teres, tum Germani hodie, ac
 nuper admodum eleganter Austrii
 instituerunt. In Austria enim co-
 lumnæ ad trivium dispositæ, porre-
 ctæque lignea brachii figura, do-
 drantalibus inscriptis litteris do-
 cent, quo sit convertendus gres-
 sus.

2. D. Thomas, Scholastici,
 ipsique oratores hoc usitatissimum
 habent. In ipso tractationis li-
 mine non solum quo ituri sint ex-
 ponunt, sed totam præterea iti-
 neris rationem velut in tabula
 depictam oculis obijciunt; quid
 primo, quid secundo loco effe-
 cturi sint ita enumerant præcise,
 ut in digitos mittere omnia va-
 leas.

3. Id manifestum de ex S. Tho-
 ma, ex quo describo Principium
 de *Prima - Secunda*, quod facit
 his plane verbis:

PROLOGUS.

Quia, sicut Damascenus dicit
 (Lib. II. Fid. Orthod. Cap.
 12.) homo factus ad imagi-
 nem **DEI** dicitur, secun-
 dum quod per imaginem

significatur *Intellectuale, &*
arbitrio liberum, & per se
potestativum: Postquam præ-
 dictum est de exemplari, sci-
 licet de **DEO**, & de his quæ
 processerunt ex divina pote-
 state secundum ejus volunta-
 tem, restat, ut considere-
 mus de ejus imagine, id est,
 de homine secundum quod
 & ipse est suorum operum
 principium, quasi liberum
 arbitrium habens, & suorum
 operum potestatem.

Quæstio Prima.

De ultimo fine hominis
 in communi, in octo arti-
 culos divisa.

Ubi *primo* considerandum oc-
 currit de ultimo fine huma-
 næ vitæ: & *deinde* de his,
 per quæ homo ad hunc finem
 pervenire potest, vel ab eo
 deviare: Ex fine enim oportet
 accipere rationes eorum,
 quæ ordinantur ad finem. Et
quia ultimus finis humanæ vi-
 tæ ponitur esse beatitudo,
 I 3 oportet

oportet primum considerare de ultimo fine in communi, deinde de beatitudine.

Circa Primum quærun- tur octo.

1. Utrum hominis sit agere propter finem.
2. Utrum &c. &c.

4. Omnibus octo articulis ordine ac profunde expositis, eadem ratione pertractat Quæstionem secundam de beatitudine, initio propositam: eamque rursus in octo articulos discernit, quorum titulos initio proponit legendos, ut quid ex tota ampla Quæstione speres ipso in limine certior fias. Lege ipsum D. Thomam.

5. Contra in Wolffio incipis, quin scias quo tendas? Dumque eadem chorda aliquamdiu oberasti aut vestigia lubrica in eadem arena sæpius posuisti, incipit iterum res nova æque, quo tendat, ignota, quod videre, attente lector, potes in exemplis Wolffianis supra Capitis tertii initio positus ex latere Tractationis divi Thomæ, & notulis nostris hinc inde insertis, Nihil præmonet

ante, quid sit tractaturus. Ut quid novi incipiat, non docet. Quemadmodum navis in mari procedit, nulla relinquens vestigia. Imponit tibi necessitatem tentando & ratiocinando deprehendendi, quæ subinde nova veniant, quæ ratione prioribus ac posterioribus cohæreant.

6. Quodque est longe molestius, exponit te non errandi solum periculo, sed & ludibrio, in quod ut incurras, sedet attentur speculator. Nam sicubi contigerit, uti testas ejus vias & confusa vestigia non mox deprehenderis, irruet nempe in te, irrisui habebit, & insultabit, te indoctum esse, methodi esse expertem, ignorantem esse Metaphysicæ, Logicæ, Psychologiæ &c. Non ex pollice, ut ajunt, hoc suxi; occurrit id multis sane locis librorum ipsius, ac maxime in præfationibus, ubi se unum fere sapere, & ante se in moralibus ignoratas fuisse res quamplurimas, sine quibus hominum vita consistere nequit, existimare posses, si verbis adhiberes fidem. Vid. infra *Conclusio num. 14. seqq.*

7. Non illi curæ est, ut tyroni auxilio sit, admonendo: Hac iter est; hic pedem fige; hoc specta; hic

hic lapis est primus, hic secundus, ut pulcherrime faciunt boni duces. Sed clausis ad ea, quæ ante te restant, oculis, semper te jubet retro converti, non in viam, sed in diverticula, in alios libros, in alias scientias.

8. Quod igitur de Aristotele, quamquam omnibus modis clariore & methodico magis, dicere non pauci, id de D. Wolffio dicere jure licet; ipsum Philosophiam ita tornatam & versatilem effecisse, ut, quacunque parte offenderet, paratam haberet excusationem, eandem excusationem sibi præparavit, eaque frequenter D. Wolffius utitur, lectorem non esse peritum Logicæ Wolffianæ, non methodi demonstrativæ, non metaphysicæ.

9. Hanc vestigiorum confusionem & absconsionem in methodo vitiosam is Wolffii Philosophia hac practica reperiri is statim agnoscet, qui ipsammet legere in animum induxerit. Sed & ex iis nonnihil deprehendet, quæ sub initium hujus tractationis prolixè ex Wolffio exscriptimus, præcipue post ipsius paragraphum 89. notavimus pauca, uti confuse pertractet sequenti ordine, seu potius ordinis confusione, Ap-

petibilitatem, obligationem, Legem, Honestum, Rationes finales, Jus singularum ne impediatur ab aliis, Rationes legum, Obligationem iterum, Indecorum, Solitudinis statum, officium naturale, Justum & injustum, Legem naturæ in hypothesi athei, Poenas, Virtutem &c. &c. Pulcherrimo scilicet ordine, itaque facto, ut vel rudior aliquis tyro primo mox aspectu deprehendat, quæ vestigia imprimere acutissimus auctor voluerit, quam divisionem latioris argumenti secutus sit, si superis placet.

10. Omnes, qui iter quoddam aggrediuntur, primum exploratum habere volunt, quam longum illud sit, quanti temporis, quantum sumptuum. Idem in scientiis accidit. Hi ergo, qui in principio statim, quid quantumque docere velint, admonent, duces sunt boni, ac discentium primo eique justo desiderio satisfaciunt. Contra cum D. Wolffii Philosophiam practicam universalem aggredieris, nihil te ille de longitudine viæ docet, sylvam ingrederis, cujus exitus nullus apparet. Si mihi dicis: D. Wolffius in vestibulo Philosophiæ practicæ adornavit quædam Prolegomena, ex quibus desumi potest tradendorum ordo & multitudo. Equidem

dem ex his Prolegomenis id defumi pernego. En tibi Prolegomena illa, sive aliquot illos paragraphos. Omissis autem paucis definitionibus male factis, paragraphi ejus prolegomeni sic disponuntur.

§. 5. Qui Philosophiæ practicæ Universali studet, certam de principis generalibus dirigendarum actionum liberarum cognitionem acquirit.

§. 6. In Philosophia practica Universali tradenda sunt principia Juris naturalis.

§. 7. In Philosophia practica Universali tradi debet generalis theoria motivorum actionum committendarum & omittendarum.

§. 8. In Philosophia practica Universali tradenda est Theoria generalis mediorum.

§. 9. In Philosophia practica Universali tradenda est impedimentorum tollendorum theoria generalis.

§. 10. In Philosophia practica Universali tradenda est theoria generalis signorum rectitudinis actionum.

§. 11. Philosophia practica generalis tradit principia heuristica, seu artificia inveniendi veritates morales, atque politicas.

Atque hic est prolegomeni Wolffiani finis.

Tametsi ipso aspectu appareat, nullum fere scholasticum prolegomena tam strigosa edere tu tamen fortasse existimabis, in his paragraphis prolegomeni scribi titulos totidem Caputum, quibus Philosophiam suam practicam universalem absolaturus sit D. Wolffius! Num verasenseris, mox videbis, si titulos ipsos capitum, quæ Wolffius pertractat, exscripsero. En tibi illos ex Philosophia practica universali, ordine descriptos. Sic autem habent.

Caput I. De Differentia Actionum humanarum.

Caput II. De Obligatione ac lege naturali.

Caput III. De DEO legis naturæ auctore, præmiis, ac pœnis.

Caput IV. De Virtute & vitio, Beatitudine & felicitate hominis.

Caput V. De Conscientia.

Caput VI. De Imputatione morali, Dolo & Culpa.

Con-

Confer jam istos capitum titulos cum illis paragraphis prolegomenis, & dic mihi siquid cum illis commune habent?

10. Ad viam certam faciendam, neve viator in ipso itinere anceps deficiat, serviunt lapides & columnæ milliares: ad quemcumque enim horum adveneris ambulando, subito agnoscis, quantum confeceris viæ, quantum restet. Agnoscis quid profeceris, quod in scientiis necessarium est. Quin ubi defunt lapides, ipse te animus cogit ab obviis quibusque suscitari, quod tendas? quantum restet? In Scholasticis aliisque methodicis scriptoribus hæc omnia examussim observata videbis, boni ergo ductores sunt, bonam viam sternunt, bona methodo ac scientifica utuntur. Contrà in Wolffio accidit. Consule libri hujus medium, consule initium, consule finem libri, dejerabis, te nescire, num in medio Philosophiæ practicæ universalis consistas; num progressus aliquousque sis? num adhuc circum initia oberres? Nam libri initium agit de *Libertate*, medium de *Beatitudine*, finis de *Imputatione*, *Dolo*. Dic mihi seriò, ubi viarum moralium consistit is, qui in Imputatione versatur? In principio, an infine?

Præsertim in libro, cujus auctor nusquam monuit, quantum vellet aut quousque tractare, aut quid primo, quid ultimo loco?

Secunda Probatio. Methodo Wolffianæ in Philosophia morali deesse *Certitudinem*, ob DEFECTUM DEMONSTRATIONUM.

1. Subaudio jam admiratorum Wolffianorum in me cachinnos. Wolffio Demonstrationes deficiunt! Demonstrationes deficiunt ei viro, qui primus & solus rem est ausus à seculis inauditam, ut omnem philosophiam moralem, quin & civilem mathematicis demonstrationum legibus subiceret?

2. Verum bona verba ô boni, paullum promoveamus pedem, tum iterum vos conveniam. Duo igitur conabor plana nonnihil facere. *Primum* Demonstrationes Wolffianas ita dictas sæpe id nomen haud mereri. *Deinde*, ipsam rationem ac modum demonstrandi deficere. *Ad rem*.

3. Primum illud, quam fluxæ sint demonstrationes Wolffianæ,
K in

in *Larva detracta* capite utroque postremo, exemplo non uno probatum dedimus, ubi ad contradictionem sæpe recidunt, quæ is pro causis *necessariis & æternis*, quales exigit apodictica argumentatio, habuerat. Ergo ne scripta rescribam, hancque opellam jam nimis prolixam sine necessitate producam, patere, Lector benevole, ut illuc te remittam. Ceterum tametsi ipso Wolffii libro careas, in illis etiam, quas supra exscripsimus, Wolffii demonstrationibus reperies, quæ demonstrationis legibus non respondeant. Ab hoc autem ostendendo eo magis jam possum abstinere ego, quod non de propositionibus Wolffianis, neque de earum certa, vera aut falsa probatione sermonem institui, sed de tota tractandæ Philosophiæ moralis ratione seu Methodo. Si D. Thomas in articulis supra ex ipso descriptis usus fuisset meris argumentis falsis aut sophisticis, nihilominus, tractandi ratio ac methodus, quam servat, bona esset. Ita contra: si omnes D. Wolffii sic dictæ demonstrationes essent revera tales, nihilominus ipsius methodus non esset methodus scientifica, cum veritas illa ac certitudo neutiquam dependeret à methodo tractandi, sed à mediis particula-

riter ad quamlibet propositionem ostendendam assumptis.

4. Secundo ergo loco ostendam jam nunc, quam ordinata sit in D. Wolffio methodus ac ratio demonstrandi particulares aut universales propositiones. Tametsi enim methodus exhibendi aliquam scientiam, maxime moralem posset adhuc esse bona, etiamsi in tractante non adesset ars singulas propositiones demonstrandi; nihilominus vitium tale redundat in totum methodi negotium, quia hominem discere atque adeo hac via progredi volentem impedit, retardat, aut omnino abducit à scopo, ut si in via dispositi lapides loco veri indicii, præberent falsum; ut si is lapis, qui ad dexteram deberet esse conversus, ignorantia ponentium staret conversus ad sinistram.

5. Sumamus ergo statim alterum Philosophiæ Practicæ universalis Wolffianæ paragraphum, insignitum numero 13, & supra à nobis exscriptum. Hic propositionem statuit hanc: *Omnes volitiones & nolitiones animæ sunt actiones libere.*

Ad

Ad demonstrationem instruendam has isto ordine serit præmissas, conclusionemque subjungit, ut sequitur.

Actus appetitus &c. seu volitiones & nolitiones animæ per essentiam & naturam animæ determinatæ non sunt. *

Habent autem sufficientem rationem in libertate. **

Ergo volitiones à libertate animæ dependent. ***

Ergo referuntur in numerum actionum liberarum. ****

6. Imprimis admodum incongruum est, ut in unico Enthymemate demonstratorio, quale est hoc, tres omnino propositiones, maneant hic indemonstratæ, & ne quidem ulla earum in toto hoc libro demonstrata inveniatur. Auctor alius methodicus, multis locis, aut saltem hoc unico loco adjecisset rationem fundamentalem illius propositionis, *uberiorem* demonstrationem rejiciens in aliam scientiam.

7. Deinde tota argumentatio resolvitur in *Rationem sufficientem in alio*, anchoram Wolffianam quidem, sed non admodum apodicticam, id quod tamen hujus loci non est pluribus persequi. Vid. Hypodigma nostrum Num. 135. seqq. Nimirum hoc modo secundum sanam logicam disponenda argumentatio est, quod nullus tyronum nostrorum ignorat;

Omne quod dependet à libertate est liberum:

Atqui volitiones & nolitiones dependent à libertate:

Ergo volitiones & nolitiones sunt liberæ.

Minor probatur ex ontologia, sic:

Omne quod habet rationem sufficientem in alio, dependet ab illo:

Atqui volitiones & nolitiones habent sufficientem rationem in libertate:

Ergo volitiones ac nolitiones dependent à libertate.

K 2

8. Ve-

* Remittit te ad Psychologiam empiricam.

** Remitteris ad Ontologiam & insuper ad Psychologiam.

*** Ad Ontologiam abi.

**** Redi ad paragraphum anteriorem.

8. Verum hæc præludia tantum sunt. Pergamus. D. Wolffii paragraphus vigesimus nonus, supra à nobis exscriptus, hic est: *Ignorantia vincibilis accensenda est actionibus liberis in casu singulari.* Ad hanc demonstrandam sequentes præmissas conglomerat hoc ordine.

Siquis ignorantia ejus laborat, cujus in dato casu meminisse debebat, non potest ejusdem meminisse.

Ergo, si ignorantia fuerit vincibilis, potuisset eandem vitare, si voluisset (§. 28.)

Ergo non meminisse, pendet (§. 56. 851. *ontol.*) à voluntate.

Quam liberam esse constat (§. 942. *Psychol. emp.*)

Ergo Ignorantia vincibilis est actio privativa libera (§. 24.)

Ergo in casu particulari actionibus liberis recte accensetur.

Ut ex hoc cumulo legitimam argumentationem, & nomine methodi scientificæ dignam exsculpas, necesse est omnia refingere.

Imprimis propositio illa prima: *Siquis ignorantia laborat, non potest meminisse*, omittenda prorsus est, nec servit causæ, sed potius

nocet. Si enim *non potest* meminisse, potius *invincibilis* ignorantia est, de qua nullus hic sermo.

Similiter intempestive hic inferitur illa relativa propositio, *quod liberum esse constat*, quod ideo tantum insertum videri potest, ut daretur occasio unius adhuc supra reliquas citationis adjiciendæ, quas pro totidem gemmis suspicere D. Wolffius videtur. Hoc enim hic tantum quæritur; an Ignorantia vincibilis dependeat à libertate, seu comprehendatur in §. 12mo. Non, an sit deturque voluntatis aliqua libertas?

Igitur his tanquam impedimentis recisis reliqua argumentatio hac à nobis facie nova indui debet, ne lector ea impediatur potius quam juvetur.

Omnis ignorantia quæ ideo stat, quia voluntas libere noluit acquirere notitiam, pendet à libertate:

Atqui omne quod pendet à libertate, liberum est:

Ergo ignorantia ejusmodi libera est.

Atqui ignorantia talis est vincibilis.

Ergo ignorantia vincibilis libera est.

Vel

Vel aliter ac directe sic: Omne quod pendet à libertate liberum est:

Atqui ignorantia vincibilis pendet à libertate:

Ergo ignorantia hæc est libera. Minor probatur. Omne illud pendet à libertate, quod, cur adfit, causa est non impotentia, sed nolitio libera sola.

Atqui *vincibilis* ignorantia, cur adfit, non est causa impotentia, ut patet ex terminis, sed nolitio:

Ergo hæc ignorantia pendet à libertate voluntatis.

9. Præ manibus est paragraphus Wolffii proximus 32dus, supra itidem à nobis exscriptus; est autem hic:

Operationes intellectus in numero actionum liberarum sunt, quando ex decreto anime, seu ab anima eliciuntur.

Quamquam autem hoc vel barbis sit notum, nihilominus aperofam de more orditur demonstrationem, velut gemino ab ovo bellum Trojanum. Hoc autem procedit ordine & apparatu:

Si ab anima volente eliciuntur operationes intellectus, ideo judicas, quia vis judicare.

Sed anima est libera in volendo (§. 942. *Psychol.*)

Ergo libertas anime rationem continet, cur nunc judices (§. 56. *ontol.*)

Ergo judicii actus à libertate pendet (§. 8. 1. *ontolog.*)

Ergo liquet, operationes anime in numero actionum liberarum esse, quando ab anima volente eliciuntur.

10. Me quidem tædet diutius immorari, aut lectorem opprimere reducendis istiusmodi distortis argumentationibus, quæ perperam demonstrationes mathematicæ dicuntur. Examinent Logici quot *Termini* sint in hoc aliisque syllogismis? Cujus sint figuræ? Ut distribuatur subjectum? Num in consequente sit quidquam, quod in præmissis frustra quæsieris, ceteraque sibi nota. Ego ut fide data me liberem, duas infelices ex plurimis etiamnum D. Wolffii demonstrationes in exemplum statuam. Cui plures in votis sunt, paragraphos singulos accedat: haud facile experietur aliquem ab hoc vitio immunem.

11. Paragraphi 39. propositio hæc est: *Nolitio cessans ob ignorantiam vincibilem, accensenda actionibus liberis*

beris privativis. Ejus autem demonstratio est talis:

Nolitio est actio positiva (§. 38.)

Ergo cessante nolitione cessat actio positiva.

Atqui nolitio est actio animæ conveniens (§. 882. *Psychol. Emp.*)

Ergo cessatio nolitionis est actio privativa (§. 24.)

Atqui ignorantia (§. 29.) vincibilis in casu singulari accensetur actionibus liberis (§. 31.)

Ergo cessatio nolitionis ob ignorantiam vincibilem, accensenda venit actionibus liberis privativis.

Logicæ nostræ tyrones maximo opere his discursibus delectabuntur, sic facile quilibet ex quolibet facies. Baculus est ex quercu: silva habet arbores: angulus est in sylva. Ergo Baculus stat in angulo.

12. Festiva est demonstratio primi statim paragraphi in Prolegomenis Wolffianis, qui ita sonat: §. 1. *Scientia affectiva est scientia voluntatem & noluntatem ad actus suos determinandi.*

Ejus autem demonstratio his propositionibus constat hoc ordine:

Dantur rationes actuum volitionis & nolitionis (§. 70. *ontol.*)

Atqui in Philosophia ratio reddenda est, cur possibile actum consequantur (§. 31. *Disc. pralim.*)

Ergo in philosophia quoque exponendæ sunt rationes, per quas voluntas & noluntas ad actus suos determinatur.

Atqui scientia consistit in habitu assera sua demonstrandi (§. 30. *Disc. pralim.*)

Ergo non sufficit recensuisse rationes determinantes voluntatis atque noluntatis: sed etiam demonstrandum est, per eas voluntatem & noluntatem ad actus suos determinari.

Ergo illa pars Philosophiæ, in qua demonstrationes istæ occurrunt, per scientiam affectivam definienda.

VI.

Methodo Wolffianæ deest Quarta conditio Bonæ methodi, CONSTANTIA.

Probatur Primo.

Quia non servit aliis.

1. Initio diximus quomodo constantem velimus esse methodum: nempe eodem modo quo

via

via aut artificium. Nam Via bona non est, quæ uni tantum præbet aditum, ceteris sequentibus non servit. Sic pervia non potest dici petra, quæ uni serpenti foramen quo perrepat, aperit. Eundem in modum haud recte diceretur ars ædificandi, si quis inveniret modum extruendi in aëre, ceteris ædificandis domibus non congruentem.

2. Ratio tractandi D. Wolffio usitata in hac Philosophia practica universali est ejusmodi, ut ii, qui hanc philosophiam aliunde jam docti sunt, possint fortasse aliquid exsculpere, si eam rite dividant, & refingant: at ii, qui recentes ad hoc veniunt, non aliter quam in labyrintho hærebunt, ignari quo devenerint? quo tendant? ubi conquiescant? quemadmodum jam superiore capite ostendimus.

3. Præcipue vero id illis eveniet, ubi ipsi similem quamdam materiam simili methodo pertractare instituent. Incipient enim à cauda, ut ajunt, phalerare equum.

4. Scholasticorum porro & aliorum doctorum methodus cujusvis imitationi facile patet. Quisquis enim rem recte concepit animo,

eam facile in partes distinguet, harumque inter se nexum docebit; de hac distributione præmonebit lectorem, qui per hoc instruitur, ut de doctrina quasi sub unum conspectum posita statim ipse judicium ferat, & non per omnes passus hariolari mentem auctoris necesse habeat cum frequentissimo periculo deceptionis, & cum ingenti molestia intellectus.

Probatio Secunda.

Quia nexus partium non apparet.

1. In via etsi lapides per singula millia positi essent, etsi orbita utrinque ducta, sulci que terræ impressi limitem designarent, si tamen & lapides vepribus passim oblecti, & sulci nive aut arenis vel aquis obrati sint, ut apparere & in oculos viatorum sponte incurrere non possint, sed multo labore ac studio quærendi sint; ea via non modo facilis dici non potest, sed neque habetur pro regula ac directione constante itineris.

2. Idem accidit methodo Wolffii. Habet equidem certa capita quæ